



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Vigilus Ep. M. 26. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

26. Junii. VITÆ SANCTORUM. 407
seipsum Christianæ modestiæ finibus cir-
cumscripsit. Ille orbis terror, & secun-
dus à Constantino Dux, pater pauperum,
peregrinorum hospes factus, pedum sor-
des abluere, ægrorum lectulos sternere,
inferre convivantibus cibos, obstupe-
fcente orbe terrarum, visus est. Iulianus
denique pestis pietatis hanc tantam vir-
tutem proscripsit, & gladio addixit. De-
cuit nimirum ut toties victor cælum lau-
reatus ingrederetur, triumphalem currum
manibus pauperum trahentibus. *Ex Surio.*

*Non est periculum quantumque te hu-
milis; est autem grande periculum, si vel
modicè plus vero te extollas; si velint te
præferas, quem fortè parem tibi veritas
indicat, aut etiam superiorum. Quapro-
pter noli te comparare majoribus, noli mi-
noribus, noli aliquibus, noli uni. S. Bern.
serm. 37. in Cant.*

S. VIGILIUS EP. M. 26. Junii.

VIGILIUM Pontificem Tridento
Roma submitit annos non nisi XX.
natum, sed jam tunc, si virtutes nume-
rasses, grandævum. Ergo ab hæresi ur-
bem, à superstitione deinde omnem latè
viciniam purgavit. Eâdem operâ mor-
bos, damonesque hospites è corporibus
proscripsit, fana diruit Deorum, & solo
Veronensium & Brixienfium agro tem-
pla Deo extruxit triginta. Felicem se
C c 4 etiam

408 VITÆ SANCTORUM. 26. *Iunii.*
etiam credidit: cum hospes hospitem D.
Remedium excepit; sed magis oculos
recrearunt homines mille & amplius,
quos omnes à fide aberrantes in viam
reduxit Remedius, & ad VIGILIUM ad-
duxit. Cæterum cœpta inter eos familia-
ritas semper deinde duravit; & ad mo-
rientem in solitudine Remedium accur-
rit VIGILIUS, ære campano ex pacto
suapte sponte monente. Iustis deinde
persolutis, cum ædiculam Remedii in
templum vellet consecrare, praviniri se
ab Angelis per quietem lubens volens
vidit. Porrò ab Annanix etiam populos
Legatos misit suos, quos cum impii ador-
ti neci dedissent, ipse in illos movit, de-
bellataque superstitione, ubique loco-
rum torphæum Christo victori Crucem
fixit. Et jam reliqua vallis unica Ran-
dena erat. In hac illi Superi triumphum
decrevere. Nam cum unus unicus in
hostium cuneos irrupisset, & æreum Sa-
turnum rectius cælo quam Iupiter pullu-
rus. dejectum fractumque in præterfluen-
tem abeiecessit, ipseque jam basi statux
deinceps insistens, ad concionem dice-
ret, densissimo lapidum imbri petitus,
ipsoque triumpho suo est obrutus. *Ex*
Ferrar. & to. 3. Bar. S.

*Dilectio fraterna omnibus desideriis
amplectenda est, quæ tot bona potest habere,
quæ præmia: custodienda præ omnibus
Virtutibus pax est, quoniam Deus sem-
per*

27. Junii. VITÆ SANCTORUM. 409
per in pace est. Locum non demus inimico,
ne inter mella venena felle amariora con-
fundat. S. Pet. Chrysol. serm. 53.

S. LADISLAUS C. 27. Junii.

LADISLAUM Bela primi Regis Un-
garorum filium, imò *Mariae* vides;
ita totus ab hujus uberibus, dum vixit,
pependit, sed neque mortuus, ut audies,
dimisit. Cæterum vix alius regum tot
virtutibus aut purpuram ornavit, aut co-
ronam distinxit; ut minùs mirer, si le-
gam aulam ejus ab Angelis frequenta-
tam esse. Certè ipse ab Angelo germa-
num suum vidit coronari, sed & Ange-
lum sub cervi schemate ignitis cornibus
locum vidit signare, quo promissam
Matri Magnæ ædem conderet. Eorun-
dem Coelituræ ope, cum in multis aliis
pugnis, tum in duello contra patrum
suum Regem Salomonem victor evasit.
Etenim cum hic cum uno rem sibi L A-
DISLAO crederet esse, conspexit sub
congressum, contra duos præterea An-
gelos sibi certamen esse, qui gladio jam
jam Salomoni graves imminebant. No-
luit igitur, etsi Hercules sibi ipse vide-
retur, in tot tantosque pugnare; sed ab-
jecit arma, pacem coluit. Toties victor
LADISLAUS coronam tamen ferre Un-
gariæ semper respuit, nobiliorem & im-
mortalem ambiens, quam ut facilius

Cc 5 ob-